

rum assignanda agitur, ad conceptum formalem et explicitum attendendum sit. Non est perfectissimum secundum conceptum implicitum, radicalem ac metaphysicum *N.* Sane repugnat prædicatum illud non esse perfectissimum, quod non solum realiter omnem perfectionem sibi identificat, quo sensu nullum Dei prædicatum altero est perfectius, sed quod etiam nostro concipiendi modo est primum radicale principium, ex quo omnes aliæ perfectiones dimanant; unde S. BERN. L. 1. de Consid. c. 6. n. 13. *Non sane occurrit melius, quam qui est... si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quid quid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, est. Nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si et centum talia addas, non recessisti ab esse: si ea dixeris, nihil addidisti: si non dixeris, nihil minuisti etc.*

58. *Nec dicas 2º.* Aseitias convenit etiam aliis a Deo realiter vel formaliter distinctis; ergo nequit dici prædicatum Dei distinctivum.

*Prob. A.* Essentiæ rerum dicuntur esse a se: attributa divina formaliter includunt aseitatem: Personæ Divinæ vere sunt Deus, adeoque sunt ens a se: Pater Divinus a Theologis vocatur fons et origo Divinitatis. *Conf. 1º.* Essentia divina, quæ est in Filio, est a Patre tanquam a principio; ergo non est omnimode a se, et saltem communicari habet a Patre. 2º. Aseitias non potest dici imperfectio, cum nulla Deo imperfectio inesse possit: nec etiam perfectio; quia alias, cum attributa et Personæ Divinæ aseitatem non habeant, carerent perfectione; ergo essentiam divinam nec constituere nec distinguere potest.

*R. D. A.* Aseitias adæquata convenit aliis a Deo distinctis *N.* inadæquata *C.* vel *T.* Essentiæ rerum dicuntur a se in genere causæ formalis, quatenus se ipsis formaliter constituunt esse cujuscumque rei, non in genere causæ efficientis. Aseitias vicissim non includit formaliter attributa, proin potest illis prior, eorumque radix et prædicatum ut primo constitutivum, sic et distinctivum esse. Personæ sunt ens a se ratione essentiæ, non ratione personalitatis. Pater vocatur fons et origo divinitatis ad asserendam illi aseitatem quæ excludat principium et causam, non ad asserendam illi aseitatem omnimodam, aut rationem etiam principii vel radicis respectu naturæ divinæ.

*Ad Conf. 1ºm. R. D. A.* Essentia, quæ est in Filio, est a Patre per communicationem necessariam *C.* per veram productionem *N. A.* vel *T. A. N.* *Cons.* Essentia Dei metaphysica formaliter præscindit a communicatione sui et non communicatione tanquam ab attributo, utramque tamen radicaliter emanat, ita quidem, ut, sicut per se ipsam est in Patre non communicata, sic per se ipsam sit communicata in Filio et Spiritu Sancto. Porro cum communicari sit attributum absolutum et essenziale, minime vero relativum et personale; facile constat, illud a Patre habere non posse, sed dimanare a natura, quæ jam supponitur ante paternitatem constituta.

*Ad 2ºm. R. D.* Attributa et Personæ alias in statu reali carerent perfectione *N.* in statu formali *subd.* si spectentur ut distinctæ et ab essentia separata *C.* secus *N.*

59. *Nec dicas 3º.* Esse a se idem est ac esse necessario: sed ex ente necessario non profluunt omnes perfectiones; cum dentur entia necessaria etiam creata et imperfecta; ergo. *Conf. 1º.* Ex aseitate non profluunt gradus

*substantiæ viventis, spiritus etc.*; ergo aseitas non est radix omnium Dei prædicatorum. 2º. Aseitias formaliter importat sufficientiam essendi, seu omne id, quod requiritur ad hoc, ut Deus existat: sed ad hoc non sufficit radix perfectionum, sed requiruntur formaliter omnes perfectiones; ergo.

*R. D. M.* Esse a se idem est ac esse necessario quomodocumque *N.* ac esse necessario omnimode, nempe cum omnimoda sufficientia ad existendum et adæquata independentia ab alio *C.* sed *N.* hujusmodi ens necessarium aut creatum esse posse aut imperfectum.

*Ad Conf. 1ºm. N. A.* Nam gradus *substantiæ* juxta multos formaliter imbitur in aseitate; juxta reliquos immediate fluit ex aseitate, cum recte sequatur: Deus est ens a se, ergo existit per se, seu est *substantia*. Porro gradus *viventis* habetur in intellectu ac voluntate divina, gradus *spiritus* in summa Dei simplicitate, quas esse proprietates divinas, atque ex aseitate divina profluere, per se patet.

*Ad 2ºm. D. M.* Aseitias formaliter importat sufficientiam essendi metaphysicam, seu omne id, quod requiritur ad hoc, ut Deus existat secundum esse metaphysicum *C.* sufficientiam physicam essendi *N.* Has enim perfectiones, quæ ad esse physicum Dei requiruntur, aseitas solum importare debet radicaliter, ne secundum nostrum concipiendi modum essentia Dei physica cum metaphysica confundatur.

## CAPUT II.

### DE ATTRIBUTIS DIVINIS.

#### ARTICULUS I.

##### AN DEUS SIT IMMUTABILIS?

60. *Dico.* Deus est omnino immutabilis. Est contra *Stoicos, Socin., etc.*

*Prob. I. ex SCRIPTURA.* Hæc ob Dei proprietates et naturam ab eo excludit omnem mutationem, quia Malach. 9. 6. dicitur: *Ego Dominus et non mutor.* Sap. 7. 27. *In se permanens omnia innovat.* Num. 23. 19. *Non est Deus ut filius hominis, ut mutetur;* Jacob. 1. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio:* ubi ad immutabilitatis assertæ præstantiam intelligendam juvat observare, a Jacobo Deum vocari *Patrem luminum*, et in græco pro mutatione usurpari *παραλλαγή*, quæ varium solis in Ortu, Meridie et Occasu aspectum significat, et pro obumbratione *ἀποσκίασμα* h. e. umbram solis ex subjectis corporibus; adeo ut *sensus metaphoricus* hic sit: Deus est Pater luminum, a quo omne bonum derivatur; sed non oritur, non occidit, non recedit, nec ei aliquid mutationis et umbræ accidit, dum lucem effundit, seu opera ejus apparent.



*Conf.* Scriptura a Deo excludit mutationem tum ratione substantiæ ac vitæ, quia Exod. 3. 14. dicitur: *Ego sum, qui sum*; et 1. ad Timoth. 6. 16. *Qui solus habet immortalitatem*. Tum ratione actuum et effectuum ad Hebr. 4. 13. *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus*. Prov. 49. 21. *Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit*. 1. Reg. 15. 29. *Triumphator in Israel non parcat, et pœnitentia non flectetur: neque enim homo est, ut agat pœnitentiam*. Tum ratione extrinsecæ innovationis; cum ex oppositione ad cœlos dicatur Ps. 101. 28. *Sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*. Tum ratione temporis aut loci; cum Deus æternus sit ac immensus.

*II. ex TRADITIONE.* C. Nicœnum, referente S. Ambrosio, L. 1. de Fid. c. 18. n. 120. cont. Arianos definit: *Eos, qui dicunt, erat, quando non erat, ... aut mutabilem aut convertibilem Filium Dei, anathematizat Catholica et Apostolica Ecclesia*. Lateran IV. c. 1. vocat Deum *incommutabilem*. Greg. M. L. 42. Mor. c. 17. (al. 33.) in textum Jacobi: *Sed quia, inquit, in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vicissitudinis intercidit*. Chrysost. et Theodoretus in verba laudati Psalmi, *Tu vero, aiunt, immobilem habes naturam et mutatione præstantiorem*; Et Cyril. Alex. L. 13. Thes.: (opp. t. 5. p. 127.) *Neque enim idem esset, si in aliud quidpiam, quam est, mutari posset*. Ibid. in Baruch. 3. 3. commentans, *Ibi enim, ait, stabilitatem et immutabilitatem divinæ naturæ, et ut semper eodem modo se habeat significans Propheta dicit: Tu sedes in sempiternum*. Ambr. l. c. c. 19. n. 131. definitioni Concilii hæc subjicit: *Arius dicit mutabilem Dei Filium: quomodo ergo Deus, si mutabilis? cum ipse dixerit: Ego sum, ego sum, et non sum mutatus*.

*III. ex RATIONE.* Omnis mutatio fit vel in melius, vel in pejus, vel in æquale: sed Deo repugnat mutari in melius; quia ex natura sua est optimus et perfectiones omnes in se vel formaliter vel eminenter continet: repugnat etiam mutari in pejus; quia per eam mutationem desineret esse Deus, nempe ens perfectissimum; hoc autem nec fieri potest ex naturæ conditione, quæ simplicissima est et actus purissimus; nec ex propria voluntate, cui essentia non subditur; nec ex alio extrinsece quocumque, utpote a quo Deus tanquam ens a se, liber, immunis ac omnino independens est: denique repugnat mutari in æquale; tum quia quidquid Deus habet, vi suæ naturæ habet, illique tam esse tale, quam simpliciter esse seu existere essentialiter competit: tum quia hæc mutatio repugnat firmitati et constantiæ, quæ tanquam perfectio simpliciter simplex Deo competit: tum quia si illud æquale non jam haberet formaliter aut eminenter, nec ab alio accipere posset. Ergo.

*Conf.* Mutatio, quæ Deo accidere concipi posset, vel esset secundum *existentiam*; sed Deus habet summam existendi necessitatem: vel secundum *formam substantialem*; sed est summæ simpliciter et omnem compositionem realem excludit: vel secundum *accidens*; sed totus est substantia et actus purissimus, adeoque accidentis incapax et omnis potentialitatis ac perfectibilitatis physicæ expers: vel secundum *intellectum*; sed Deus jam ab æterno summe completus et determinatus est ad cognoscendum quidquid cognoscit, et quidem uno eodemque actu plane invariabili: vel secundum *voluntatem*; sed Dei voluntas non transit ab uno actu ad alium, quia hic realiter et unicus omnino est et ipsa Dei substantia; nec ad contrarium, quia consilia format absque ignorantia, præcipitatione et passione, atque jam ab

æterno summe completus est ad volendum et nolendum, quidquid vult aut non vult: vel secundum *operationem ad intra*; sed hæc æterna et immutabilis est Deoque essentialis: vel secundum *operationem ad extra*; sed et hæc non est quid a Dei substantia distinctum: vel secundum *tempus aut locum*; sed hanc quoque ejus æternitas et immensitas mox ostendenda excludit.

61. *Obj. I.* Sap. 7. 22. in sapientia Dei dicitur *Spiritus multiplex*; et v. 24. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia*. S. Aug. L. 8. de Genes. ad litt. c. 20. *Spiritus creator, inquit, movet se ipsum sine tempore et loco*. Ergo.

R. *Ad text. Script. D. A.* Spiritus sapientiæ dicitur *multiplex* ob perfectiones multas, quas sibi identificat, et sapientia *mobilior* omnibus mobilibus ob vim et efficaciam suam, et effectuum universalitatem C. sensu alio N. Immutabilitatem his prædicatis non excludi, patet ex eodem cap., ubi v. 22. idem Spiritus vocatur *unicus*, et v. 23. *stabilis*; sapientia autem v. 27. *in se permanens omnia innovare dicitur*. *Ad text. S. Aug. R.* cum S. Thoma, D. movet se, nomine motus late sumpto pro quacumque actione C. proprie N.

*Inst. 1.* Deus variis animi passionibus in Scriptura affectus legitur, pœnitentiæ quidem Gen. 6. 6. et 8. 21. iræ vero Jerem. 9. 25. et Ps. 105. 40.; tristitiæ Isa. 63. 10. zelotypiæ Exod. 20. 5. etc. Ergo obnoxius est aliquibus saltem mutationibus.

R. *D. A.* Deus legitur animi passionibus affectus secundum verborum proprietatem, quoad ipsam naturam et actiones ejusmodi affectionum N. secundum metaphoram, et quoad effectus præcise illarum C. His autem mutationem non probari in Deo, ostendit S. Aug. L. 1. cont. Advers. Legis et Proph. c. 20. n. 40. scribens: *Quando eum pœnitet, non movetur et mutat: sicut quando irascitur, non movetur, et vindicat: quando miseretur, non dolet, et liberat: quando zelat, non cruciatur, et cruciat*. Nempe per metaphoricæ illas locutiones effectus tantum diversi significantur, et Dei voluntas eosdem sine imperfectione passionum efficiens, ut idem ait L. 2. ad Simpl. g. 2. n. 4. *Auferamus ergo ista, quæ de humana infirmitate atque ignorantia veniunt, et remaneat solum velle, ut non ita sit aliquid, quemadmodum erat*.

*Inst. 2.* Legitur in Scriptura sæpius, Deum mutasse consilium, quod habuerat, ut constat de *Ninivitis, Ezechia* et aliis; item odisse, quem amaverat; reprobare, quem facere salvum volebat etc. ergo.

R. Quoad 1. *N. A.* Deus enim, quæ voluit, ab æterno voluit; neque *Ezechia* mortem, ac *Ninivæ* subversionem absolute denunciavit, sed hypothetice duntaxat, si nempe vel cursus causarum secundarum, quæ mortem *Ezechia* exigebant, non immutaretur, vel *Ninivite* non agerent pœnitentiam. Hæc vero immutabilitati divinæ nihil officere, declarat S. Aug. in Psal. 109. n. 35. his verbis: *Nec aliud facit quasi consilio repentino, quod non ex æternitate se facturum esse præcavit; sed in creature temporalibus motibus, quam gubernat mirabiliter, ipse non temporaliter motus quasi repentina voluntate facere dicitur, quod ordinatis rerum causis consilii sui secretissimi immutabilitate disposuit*.

Quoad 2. *R. C. A. N. Cons.* Homo quidem in his casibus mutatur, non vero Deus, qui uno eodemque incommutabili justitiæ amore hominem justum diligit, odit peccatorem, ut S. Aug. in solis similitudine exponit L. 22. de Civ. c. 2. n. 1. *Cum Deus mutare dicitur voluntatem, ut quibus*



lenis erat, v. g. reddatur iratus, illi potius quam ipse mutantur, et eum quodammodo mutatum in his quæ patiuntur inveniunt: sicut mutatur sol oculis sauciatis, et asper quodammodo ex miti, et ex delectabili molestus efficitur, cum ipse apud seipsum maneat idem, qui fuit. Eadem habet in enarratione Psal. 32. ad illa verba: *Cum perverso perversus eris.*

62. *Obj. II.* Ille vere mutatur, qui de non creante fit creans: sed Deus de non creante factus est in tempore creans; ergo. *Maj. Prob. 1.* ex paritate cum qualibet causa efficiente creata: 2. quia actus creandi est aliqua perfectio, et quidem de novo accedens Deo; cum alias, si is in Deo semper fuisset, semper etiam Deum denominasset Creatorem. 3. quia producta creatura Deus acquisivit denominationem Domini, et jus in creaturam, quod ante non habuerat.

*R. D. M.* Vere mutatur, qui de non creante fit creans per decretum creandi novum, vel novam aliquam perfectionem acquirendo, et in se recipiendo *C.* per actum et decretum æternum, vel præcise dando aliquid creaturæ *N.* In Deo autem creante nec decretum novum est, nec nova illi perfectio accedit.

*Ad Prob. 1. R.* Actio secundum se in effectu quidem, non autem in agente, mutationem dicit; cum motus non sit in movente, sed in mobili: in agente tamen creato mutatio oritur ex actione, vel per affectum agendi recens conceptum, vel per susceptum in se impetum, vel per relationem aliquam realem sibi superadditam, vel per aliquod a se decisum: horum vero nihil cum in Deum cadat, disparitas patet. Nam 1º. Quidem in Deo eadem volitio est, quam habuit ab æterno, ut patet ex S. Aug. L. 12. de Civ. c. 17. n. 2. *Potest ad opus novum non novum, sed sempiternum adhibere consilium... In illo autem non alteram præcedentem altera subsequens mutavit aut abstulit voluntatem, sed una eademque sempiterna et immutabili voluntate res, quas condidit, et ut prius non essent egit, quamdiu non fuerunt, et ut posterius essent, quando esse cœperunt.* 2º. Nullum impetum aut affectum alium suscipit, ut idem ibidem inquit: *Nobis autem fas non est credere, aliter Deum affici, cum vacat, aliter, cum operatur; quia nec affici dicendus est, tanquam in ejus natura fiat aliquid, quod ante non fuerit... Novit quiescere agere, et agens quiescere.* 3º. Nec in se relationem superadditam habet, eodem Aug. L. 5. de Trinit. c. 16. dicente: *Quod ergo temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dicebatur, manifestum est relative dici; non tamen secundum accidens Dei, quod ei aliquid acciderit; sed plane secundum accidens ejus, ad quod dici aliquid Deus incipit relative.* 4º. Nec creaturas aliquid esse a Deo decisum, nec Deum operando aliquid ex sua substantia amittere, manifestum est ex Script., PP., et ratione.

*Ad Prob. 2. R.* Actum creandi nec esse perfectionem ex parte Dei ab ejus omnipotentia et voluntate distinctam, nec novam et recens antecedentem; est enim solum ex parte creaturæ perfectio, vel potius motus ad perfectionem, nempe ad ejus esse. Sequela rationis loco addita, quamvis locum habeat in formis ac denominationibus absolutis, non tamen tenet in accidentaliter relativis, ad quas denominatio Creatoris, Domini etc., sine aliqua nihilominus accidentis intrinseca susceptione, pertinet; quia ad has non sufficiunt

subjectum et fundamentum, sed requiritur insuper terminus, qui hic non ab æterno, sed in tempore positus est.

*Ad Prob. 3. R. D.* Posita creatura Deus accipit denominationem Domini per acquisitionem alicujus, aut receptionem in se *N.* præcise per mutationem in creatura *C.* Ad hoc enim, ut Deus acquirat vel amittat denominationem Domini, sufficit, ut producat vel destruat creatura; quia producta creatura idem in se manens Deus incipit habere subjectum, in quod jus suum exercere possit: ea destructa desinit habere subjectum ejusmodi; utrobique nulla in Deo, sed in creatura tantum facta mutatione, ut in similitudine de nummo, cum dicitur *pretium*, exponit S. Aug. L. 5. de Trinit. c. 16. Quod de jure divino recens acquisito dicitur, falsum est; quia hoc jus est summa potestas disponendi de rebus quecumque creatis ex hypothesi, quod existant, estque perfectio increata, æterna, et invariabilis, utpote summa necessitate Deo conveniens, et solam creaturarum possibilitatem supponens; unde manet semper eadem, sive existant creaturæ, sive non.

*Inst.* Deus agnovit olim Incarnationem ut futuram, nunc vero cognoscit ut præteritam. Item aliter se gessit in Veteri, aliter nunc se gerit in Novo Testamento; ergo est mutatus.

*Conf.* Qui liber est, potest aliquid de novo velle, quod antecederet noluit: sed Deus est liber; ergo.

*R. N. Cons.* In his enim mutatio quidem *objecti* et *effectuum* est, nulla cognitionis aut consilii divini; quia unus, simplex, realiter indivisibilis actus est, quo cognoscit jam ab æterno rem futuram pro eo tempore, pro quo præsens est, et præteritam pro eo tempore, pro quo est præterita; una similiter simplex, invariabilis et indivisibilis volitio ac voluntas est, qua ab æterno pro Judæis voluit hanc Reipublicæ et Ecclesiæ formam, quam pro Christianis abrogavit.

*Ad Conf. D. Maj.* Qui liber est, et simul creatura, potest aliquid de novo velle *C.* qui liber est, et simul Deus *N.* *Disparitatem* inter creatam et divinam libertatem quoad hoc faciunt omnia illa prædicata divina, qua ejus immutabilitatem hactenus ostendimus, quæ tolleretur. Hinc S. Aug. L. 12. Conf. c. 15. n. 18. ex æternitate probans voluntatis constantiam inquit: *Unde non eum modo velle hoc, modo velle illud; sed semel et simul et semper velle omnia quæ vult; non iterum et iterum, neque nunc ista, nunc illa; nec velle postea quod nolebat, aut nolle quod prius volebat: quia talis voluntas mutabilis est, et omne mutabile æternum non est; Deus autem noster æternus est.*

## ARTICULUS II.

## AN DEUS SIT ÆTERNUS?

63. *Nota.* Æternitas sumitur *latissime* pro duratione vel longissima, vel remotissima: *Late*, pro duratione, quæ fine caret, licet habeat initium; utraque acceptio non raro in Scriptura usurpatur: *Minus stricte*, pro duratione, quæ præcise principio caret et fine: *Stricte*, pro duratione entis semper existentis et summe immutabilis; atque de hac quæritur. Definitur a BOETIO L. 5. de Consol. Pros. 6. *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta*



*possessio*. Dicitur *Possessio*; quia est duratio firma, constans et non deficiens: *tota simul*; quia nec duratio habet prius et posterius seu successionem, cum sit unicum velut punctum, quod omnia sibi succedentia tempora complectitur; nec ens durans admittit successionem seu mutabilitatem, cum in quolibet instanti semper idem sit, et in entitate substantiæ et in perfectionum modificatione: *perfecta*; quia licet sit indivisibilis, omnem tamen perfectionem durationi successivæ convenientem continet: *vita*, vel quia æternum debet esse in gradu existendi perfectissimo, vel quia hac voce expressius etiam operationis æternitas significatur: *interminabilis*: quia nec initium nec finem habet aut habere potest.

64. *Dico*. Deus est æternus æternitate etiam *strictè* dicta.

*Prob.* Tres sunt æternitatis *strictè* acceptæ dotes, ut sit sine initio, sine fine, sine mutabilitate: sed omnes hæc dotes conveniunt Deo; ergo.

*Prob. min. universim.* Quia Deus tum in Scriptura, tum in Conciliis, tum in Symbolis, tum in scriptis Patrum frequentissime vocatur *æternus*: Sed nulla plane obstat ratio, quominus intelligatur vox et secundum litteram et in sensu proprio ac stricto; ergo. *Conf.* Deus est ens a se: ens a se habet sufficientiam et necessitatem existendi: ens autem hæc habens, caret principio, fine et mutabilitate; cum alias nec sibi sufficeret, nec necessario esset, nec etiam aliquid eorum ab alio tanquam penitus independens nancisci posset: Ens carens his tribus est æternum *strictè* dictum; ergo. Simile argumentum fieri potest ex omniperfectione ac infinitate Dei, ejusque immutabilitate.

*Prob. min. singillatim*, et quidem: *Quoad 1<sup>um</sup>*. Psal. 89. 2. dicitur: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a seculo et usque in seculum tu es Deus*. C. Nic. I. supr. cit. *Eos autem, ait, qui dicunt: erat aliquando, quando non erat...*, *anathematizat Catholica et Apostolica Ecclesia*. TERTUL. L. 1. cont. Marcion. c. 3. *Definitio... Deum summum esse magnum, in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine*. HUGO VICTORIN. L. 7. Erud. Theol. c. 17. *Si enim aliquando non fuit Deus, a se ipso initium non habuit*. RICHARD. L. 1. de Trin. c. 8. *Si Deus ab æterno non fuisset, qui sibi, inquit, vel aliis initium daret existendi vel potuisset dare, omnino non fuit*. Huc referuntur omnia testimonia et argumenta Patrum, qui contra Arianos Verbum ex hoc, quod æternum esset, probarunt Deum, et vice versa.

*Prob. Quoad 2<sup>um</sup>*. Exod. 13. 18. dicitur. *Dominus regnabit in æternum et ultra*. Deut. 32. 40. *Vivo ego in æternum*. Psal. 101. 28. *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*. 1. ad Tim. 6. 16. *Qui solus habet immortalitatem*. ad Hebr. 1. 11. *Ipsi peribunt, tu autem permanes*. In quæ postrema Apostoli testimonia commentantes Hilar., Aug., Greg. M., Bern., alique Patres, non tantum perpetuitatem Dei, sed et immutabilitatem ostendunt. Accedunt Symbola, in quibus profitemur regnum, *cujus non erit finis, et vitam æternam*.

Denique *Quoad 3<sup>um</sup>*. immutabilitas quoad substantiam et modos entitatis divinæ constat abunde ex art. priori; secundum durationem autem *Prob.* GREG. NAZ. Or. 38. n. 7. *Deus et erat semper, et est, et erit: vel, ut rectius loquar, semper EST. Nam ERAT, et ERIT, nostri temporis fluxæque naturæ segmenta sunt*. AUG. L. de vera Relig. c. 49. n. 97. *In ipsa æternitate nulla spatia temporis cerno; quia spatia temporis præteritis et futuris rerum mo-*

*tibus constant; nihil autem præterit in æterno et nihil futurum est*. Et L. 9. Confess. c. 10. n. 24. de divina Sapientia loquens: *Ipsa, inquit, non fit; sed sic est, ut fuit, et sic erit semper: quin potius fuisse et futurum esse, non est in ea, sed esse solum: quoniam æterna est: Nam fuisse et futurum esse, non est æternum*. GREG. M. L. 16. Mor. c. 20. (al. 43. n. 55). *Æternitas semper esse habet, in qua nulla pars suæ longitudinis præterit, ut pars alia succedat; sed totum simul esse est*. ANSELM. in Prosl. c. 18. *Nec tu habes partes, nec tua æternitas, quæ tu es; nusquam et nunquam est pars tua aut æternitatis tuæ; sed ubique totus es, et æternitas tua tota est semper*. Eadem in Monol. c. 26. repetit et S. Bern. initio Serm. 31. in Cantica docet.

*Conf. 1<sup>o</sup>*. Duratio est permanens entis existentia, seu ipsum ens; adeoque sequitur conditionem entis, cujus est duratio: sed ens, cujus duratio est æternitas et ens immutabile, successionem nullam habet; ergo. *2<sup>o</sup>*. Successio importat prius et posterius; nam, ubi hoc admittitur, debet admitti initium et additio: *primum* autem æternitati, *secundum* infinitati divinæ repugnat; ergo. *3<sup>o</sup>*. Permanere in suo esse est perfectio; ergo quo major erit permanentia, eo major erit perfectio, eaque Deo est concedenda. Vel ergo permanentia hæc potest esse sine successione; et hinc Deo debetur: vel non potest esse; et sic Deus ab initio non habuit omnem perfectionem, sed succedentibus instantibus paulatim acquirit; quod sane Deo repugnat.

65. *Nec dicas 1<sup>o</sup>*. AMBROS. in Symb. (al. de Trin. c. 1.) et HIL. de Trin. L. 2. n. 1. soli Patri tribuunt æternitatem, dum ille inquit: *Æternitas ergo in Patre, species in imagine, virtus est in munere*; Hic vero: *Infinitas in æterno, species in imagine, usus in munere*; ergo. *Conf. 1<sup>o</sup>*. Dan. 7. Deus vocatur *antiquus dierum*; Apocal. 1. dicitur: *Qui est, qui erat, et qui venturus est*; alibi vero in Scriptura actiones Dei jam præteritæ jam futuræ designantur; ergo. *2<sup>o</sup>*. Joannes in Evangelii initio tribuit Verbo Divino *τὸ erat*; et Scriptura sæpius de Deo enuntiat annos et secula; ergo.

R. D. A. Soli Patri tribuunt æternitatem sumptam absolute et pro carentia omnis initii, finis et immutabilitatis N: sumptam relative et pro carentia originis ac principii producentis C. *Ut potentia, et sapientia et charitas*, inquit PETAVIUS de Deo L. 3. c. 3. n. 7. *dupliciter usurpantur a Theologis; atque ut absolute spectantur et secundum substantiam, communes sunt ex æquo personis tribus, ut autem relative et secundum producentis ac producti notiones accipiuntur, singularum sunt personarum propriæ singulæ: sic infinitas atque æternitas partim tribus communes sunt; partim uni congruunt, qui solus est in sese, non aliunde quod est sumens; sed id, quod est ex se atque in se continens*, ut I. c. n. 6. addit HILARIUS.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>*. R. *Quoad 1. D.* Vocatur antiquus dierum, quasi senio confectus N. quatenus diebus ipsis ac omni temporis præexistit C. *Quoad 2. D.* Dicitur, *qui est etc.* quatenus has temporis differentias indivise et modo simplicissimo complectitur C. alio sensu N. *Quoad 3. D.* Actiones Dei dicuntur futuræ et præteritæ ratione principii earum effectivi seu operantis N. ratione terminorum, qui aut incipiunt esse aut desinunt, seu effectus in tempore producti vel producendi C.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>*. *quoad 1. D.* Tribuit Verbo Divino *τὸ erat*, ad significandum illud fuisse aliquando et desiisse, nec semper esse N. ad significandum illud



jam extitisse ante omne tempus, etiam quantumlibet infinitum retro spatium, quod homo sibi cogitando proponat *C.* Nempe ut *AMBROS.* L. 1. de fid. c. 8. n. 56. ait: *Indefinite tenditur Erat. Quidquid excogitaveris, erat Filius;* et *HILAR.* L. 2. n. 13. de Trin. ERAT, quod est, neque in aliquo tempore concluditur ut cæperit, quod erat potius in principio, quam fiebat. Quoad 2. *D.* Enuntiat de Deo annos et secula, ejus durationem his concludendo, aut æternitatis rationem cum annis et seculis æquiparando *N.* durationem ab his eximendo, et æternitatis rationem distinguendo *C.* Primum patet ex textibus Scripturæ num. pr. recitatis; alterum ex dictis ibid. *SS. Patrum* recensitis.

66. *Nec dicas 2º.* Duratio in suo conceptu essentialiter dicit plura instantia: æternitas definitur duratio; ergo. *Conf. 1º.* In duratione, quæ partim correspondet tempori, partim illud excedit, debent esse partes et successio; talis duratio est æternitas; ergo. 2º. Si æternitas foret tota simul, ergo omnia illius instantia deberent esse in eodem instanti; non esset plus, quam unicum nunc ac punctum temporis; creatura existens per unicum momentum foret æterna; quia cum tota æternitate corresponderet, vel existeret. Sed hæc sunt absurda; ergo.

*R. D. M.* Duratio rei temporaneæ mutabilis essentialiter dicit plura instantia *C.* duratio rei æternæ ac immutabilis *N.* Duratio nempe similis est enti, cujus est duratio; cum igitur æternitas Dei sit entis simplicis indivisibilis et immutabilis, eadem quoque est duratio nihil acquirens aut perdens, nullam successionem admittens, sed tota simul.

*Ad Conf. 1ºm. D. M.* In duratione, quæ secundum se divisim ac fluendo partim correspondet tempori, partim illud excedit, habentur partes et successio *C.* quæ secundum se tota simul et stans correspondet etc. *N.* vel *Subd.* habentur partes et successio formales et reales *N.* virtuales duntaxat et imaginariæ, seu ex humani ingenii imbecillitate ad explicationem qualemcumque pro more aliarum durationum dandam conceptæ *C.* Sicut centrum, quod est unicum ac indivisibile punctum, correspondere secundum se totum singulis circumferentiæ punctis ac lineis concipitur; sic æternitas simplex ac sine fluxu caducis temporum partibus dicitur correspondere.

*Ad 2ºm. R.* In æternitate non sunt plura instantia intrinseca, formalia et realia. Unicum temporis punctum, licet concipiatur indivisibile, imperfectum tamen est; cum æternitas cum sua indivisibilitate omnem contineat perfectionem, quæ in duratione successiva vel fingi per mentem potest. Creatura existens per unicum momentum coexistit cum tota æternitate relata ad se et durationem intrinsecam, non vero ad tempus reale vel imaginarium et durationem extrinsecam.

67. *Observa.* Res futuras, seu creaturas ab æterno fuisse Deo præsentibus secundum suum esse tum *intentionale*, tum *eminentiale*, quod ab æterno vel in cognitione divina vel in essentia et omnipotentia habuerant Dei, dubitatur a nemine: controversatur tamen inter Auctores, an creaturæ etiam possint dici ab æterno fuisse Deo præsentibus secundum suum esse reale ac formale? Affirmant id *Cajet.*, *Gonet*, *Joan.* a *S. Thoma* cum *Thomistis* aliis non paucis; tum quia creaturæ coexistunt æternitati Dei indivisibili;

tum quia ex *SS. Patrum* sententia Deo nihil est futurum, sed ei omnia ab æterno sunt præsentia. Negant id reliqui cum *Scotistis*; tum quia esse præsens alteri ab æterno habetur formaliter et essentialiter a duplici existentia; creaturæ autem existentiam ab æterno non habuerunt: tum quia licet res creata coexistat in aliquo loco toti indivisibili immensitati divinæ, tamen ei non coexistit ubique; adeoque licet in aliqua temporis differentia coexistat toti æternitati, ei tamen non coexistit semper et ab æterno. In hac vero controversia, quæ de nomine potius, quam de re versari videtur, pars *negativa* præferenda est; præsertim cum partis contrariæ fundamentum prius ex nuper dictis jam solutum sit, posterius vero non pertineat ad præsentiam realem, sed ad objectivam duntaxat et intentionalem; ut facile ex ipso contextu laudati testimonii, quod ex *L. 2. S. AUG.* ad *Simplic.* q. 2. n. 2. depromitur, apparet, cum de præscientia Dei sermo sit, quam ideo proprie dari in Deo negatur, quia futuritio *objective* ab æterno erat, et a Deo etiam comprehendebatur.

## ARTICULUS III.

## AN DEUS SIT IMMENSUS?

68. *Nota I.* Immensitas est diffusio entis circumquaque infinita, h. e. in omnem dimensionem sine omni termino: differt ab *ubiquitate*, quia est aptitudo coexistendi in locis infinitis, cum hæc tantum sit actualis et formalis in existentia entis in locis aut rebus omnibus extantibus; unde et immensitas Dei est æterna, absoluta et necessaria; *ubiquitas* vero est temporanea, respectiva et libera, quamvis posita creaturarum existentia necessario sequatur ex immensitatis attributo, sicut ex attributo æternitatis necessario sequitur, ut Deus in quacumque temporis differentia, in qua creatura existit, eidem coexistat. Tribus autem modis res quæpiam, maxime Deus, potest esse alicubi vel ubique: *per præsentiam*, si videt aut cognoscit, quæ fiunt alicubi, aut gubernat et moderatur, iisque providet: *per potentiam*, si virtus ejus operatur in aliquo loco, quacumque ratione agendo: *per essentiam*, si ejus entitas ac substantia locum implet, aut res intime pervadit ac penetrat. Porro tripliciter res aliqua per suam essentiam seu entitatem alicubi existere potest; *circumscriptive*, cum ita locum occupat, ut per diversas suæ substantiæ partes totidem loci partibus respondeat, et ulterius non extendatur: *definitive*, cum tota est in toto loco, et tota in qualibet loci parte, nec tamen alibi reperitur, seu extra hunc locum est: *repletive*, cum tota sic locum totum et omnes loci partes implet, et tamen illo non ambiatur nec terminetur.

69. *Nota II.* Circa hanc quæstionem errarunt, quotquot inter Veteres Deum admiserunt corporeum, aut Deos suos inanes vel cælo, vel alteri mundi parti, vel templis ac idolis tenebant affixos. Inter *Philosophos* errarunt etiam illi, qui supremum Numen dicebant duntaxat esse in cælis, aut extra cælum esse, et universi molem torquere, ut *Stoici*; aut in mundo inclusam ceu nautam in navi, ut *Platonici*: inter *Judeos* et *Samaritanos*, qui, teste *S. Hier.* putabant, Deum concludi templo, vel in Jerusalem, vel in monte Garizim: